



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. An actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ addat ad voluntatem efficacem ejusdem exterioris actus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

Prima pars patet: Tum quia bonum & laudabile est quod nos viatores, quantum possibile fuerit, conformemur in operando Beatis: At Beati non solum in volito formaliter, sed etiam in materiali conformantur voluntati divinae: Ergo talis conformitas, regulariter loquendo, est bona & laudabilis; imo veluti quedam imago & expressio, seu pragustatio & participatio futurae beatitudinis. Tum etiam quia cum voluntas Dei sit prima regula totius sanctitatis, tanto magis homo perficitur & sanctificatur, quanto intimum divinæ voluntati conjungitur. Addo quod in tali conformitate consistit perfectissimum exercitium charitatis, ut ostendunt Gratianus, Rodriguez, & alii Doctores mystici.

Secunda verò pars suaderetur: Licet quodlibet volitum materiale Dei, comparatione ad ipsum Deum ut generalem provisorem, & universi gubernatorem, semper sit melius, non tamen respectu nostri: quia nos aliquando tenemur attendere ad rationem aliquam particularem praecepti, vel documenti proximi, vel scandali; & sic saepe erit conveniens quod sub illis rationibus particularibus, non ipsum, sed oppositum prosequamur.

Confirmatur: Si quis videat patrem suum morti, & mori in peccate mortali, & per consequens esse damnatum, ex ipso opere videt id esse voluntatem Dei, alias non sic eveniret: Sed non est bonum & laudabile quod filius velit mortem & damnationem aeternam patris, imo ex charitate & pietate tenetur ei velle & procurare vitam & salutem aeternam: Ergo tunc non est bonum & laudabile convenire cum voluntate divina in volito materiali, secundum se & absolutè sumpto. Quod addo: quia si tale volitum consideretur ut subest ratione formalis sub qua volitum est à Deo, bonum est illi conformari; omne enim volitum à Deo, sub illa ratione sub qua est ab ipso volitum, justum & sanctum est: unde Beati in celo qui operantur solum secundum rationes aeternas & superiores, & nihil volunt nisi sub eo motivo sub quo est volitum à Deo, complacent sibi de morte & damnatione parentum, imo & de permissione peccatorum, & tota serie reprobationis aliorum sibi revelatae à Deo, iuxta illud Psalmi 57. Letabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

DISPUTATIO VII.

De moralitate actus exterioris.

Ad questionem 20. Divi Thome.

PLVR A disputari solent de bonitate & malitia actus exterioris, quæ ex supra dictis facilè intelligi possunt: unde pauca de his nobis hinc superlunt dicenda.

ARTICVLVS UNICVS.

An actus exterior aliquid bonitatis vel malitiae addat ad voluntatem efficacem ejusdem exterioris actus?

CERTVM est de fide, actum exteriorem, interiori supposito, veram bonitatem & malitiam moralē habere; cum illo supposito sit liber, & ratione conformis vel disformis. Unde in octo primis Decalogi præceptis, vel præcipiuntur, vel prohibentur actus exteriores: certum est autem quod à Deo non prohibentur nisi mala, nec præcipiuntur nisi bona. Item paucim tam in veteri quam in novo Testamento reprehendunt plures actus interiores, & alii laudantur: quod evidens argumentum est, aliquos esse malos, & alios bonos moraliter.

Hoc supposito, inquirimus an actus exterior addat bonitatem vel malitiam ad interiore, à quo imperatur; vel extrinsecè tantum ab eo bonus aut malus denominetur, scut urina extrinsecè tantum dicitur sana à sanitate qua est in animali?

Scotus quodlib. 18. art. 3. existimat actum exteriorem addere bonitatem vel malitiam actui interiori, quantumcumque efficaci; ita ut plus bonitatis moralis habeat voluntas dandi elemosynam cum actu dandi, quam extrinsecus impedita; & plus malitiae voluntas occidenti homini, occisione secutâ, quam impedita. Eadem sententiam tuentur ejus Discipuli, Liquetus, Tartaretus, Bassolius, Rada, & alij quos refert & sequitur Franciscus Felix tractatu de bonit. & malit. cap. 9. difficult. 1. Quibus ex parte subscriptis Vazquez hic disp. 37. cap. 5. ubi docet actus omnino externos, ut furari, occidere, &c. esse formaliter malos primari & per se, & non solum per denominationem à malitia internorum; de bonitate vero assertit eam non inventari formaliter, nisi in actu voluntatis.

Oppositum docere Magister Sententiarum in 2. dist. 42. & ibi Albertus Magnus, S. Bonaventura, Richardus, Durandus, & D. Thomas hic art. 4. cum omnibus ejus Discipulis, quo sequuntur plures ex Recentioribus. Unde

S. I.

Conclusio negativa statuitur.

DIco igitur: Actus exterior, qui est mera executio interioris actus voluntatis, non addit illi bonitatem vel malitiam simpliciter in ordine ad primum vel pœnam essentiale, sed solum secundum quid, & in ordine ad primum vel pœnam accidentale; sive non simpliciter, sed solum secundum quid hominem meliorem aut pejorem efficit.

Prima pars hujus conclusionis in primis colligitur ex Scriptura, & SS. Patribus: Deus enim Genes. 22. dixit Abraham: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Ubi apparet quod Dominus efficacem Abraham voluntatem non distinxit ab actu, in executione non posito ex impedimentoo exteriori, & adeò gratam voluntatem ipsius habuit, ac si verè occidisset filium. Unde Chrysostomus homil. 47. in Genesim verba illa expendens, subdit: *Quoniam ad voluntatem eruerat*

DE MORALITATE ACTVS EXTERIORIS. 257

eruerit a veritate dexteram Patriarcham, & per cuiem pueri immiserit gladium, perfectumque obulerat sacrificium: & idcirco Dominus, quasi sacrificio reip̄la consummato, laudat justum.

Item Marci 12. & Luce 21. duo minuta, quae vidua pauper misit in gazophylacium, anteponuntur a Salvatore magnis divitum eleemosynis: quia scilicet voluntas in ea fuit major, & non ex opere, sed ex voluntate desumitur bonitas seu meritum, quando deest facultas. Unde Cyprianus tract. de operib. & eleemosyn. sic ait: *Vidua cum videret Dominus, non de patrimonio, sed de animo opus ejus examinans, & considerans non quantum, sed ex quanto dedisset, dixit, vidua ista plus omnibus misit in dona Dei.* Hinc Augustinus conc. i. in Pfal. 105. infert nullum esse quantumcunque pauperem, qui non possit habere eleemosyne meritum: *quia (inquit) si non habet foccus vel arca quod dones, habet cor & voluntas.* Vel ut loquitur Gregorius Magnus homil. 5. in Evang. *Ante oculos Dei nunquam vacua est manus a munere, si fuerit arcus repleta bona voluntate.* Id etiam videatur innuerit Apostolus 2. ad Corinth. 8. dum invitans fideles ad eleemosynam, dicit: *Vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* Id est (ut expoununt Theodoretus, Hieronymus, Anselmus, Nicolaus de Lyra, & alij) non minus Deo accepta est animi vestri promptitudo, etiam si minima possitis dare, quam si plura daretis; quia ex voluntate, non ex operibus, pensatur merita. Unde ait Glossa ibidem, *Si aequalis voluntas, aequali habent mercedem.*

Denique Christus Dominus Matth. 5. ut innuit consensum internum voluntatis eandem habete malitiam, ac si actus elicitus fuisset, dicit: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam machatus est eam in corde suo.* Que verba expendens D. Bernardus Epist. 77. subdit: *Quid planius, quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas?* Et D. Augustinus de lib. arbit. cap. 3. *Si cui (inquit) non contingat facultas concubendi cum conjugi aliena, planum tamen aliquo modo sit id cum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.*

Probatur secundò eadem pars ratione fundamentali: Bonitas vel malitia, à qua actus est & denominatur bonus vel malus moraliter, non est inhaesivè in actu exteriori, sed in interiori, à quo exterior extrinsecè denominatur bonus, vel malus: Ergo actus exterior nullam addit actu interiori bonitatem vel malitiam moralē. Consequentiā patet: quia denominativum extrinsecum nihil formae addit supra denominativum formale, sicut sanum in urina nihil addit sanitatis supra sanitatem animalis. Antecedens probatur primò ex D. Thoma h̄c art. 3. ad 3. ubi ait: *Sicut à sano, quod est in corpore animalis, derivatur sanum ad medicinam & urinam: hoc modo à bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris:* Ergo sicut sanitas solū extrinsecus denominatione est in medicina & urina, ita & bonitas moralis in actu exteriori. Idem dicendum de malitia: unde idem S. Doctor infra qu. 74. art. 2. ad 3. negat membra exteriora esse subjectum peccati: quod fal-

Tom. III.

A sum esset, si actus exteriores essent formaliter & intrinsecè mali, malitia moralis.

Secundò idem Antecedens ratione suadetur: Bonitas & malitia moralis fundantur in libertate, ut disput. 1. ostendimus; unde ibi solum potest esse bonitas vel malitia moralis intrinseca, ubi est libertas intrinseca: Sed in actu exteriori potentia executiva, non est libertas intrinseca, sed tantum extrinseca, ut communiter docent Philosophi: Ergo nec bonitas aut malitia moralis intrinseca, sed duntaxat extrinseca, ab actu voluntatis imperante despota.

Probatur tertio eadem pars ab inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim actus exterior potentia executiva bonitatem moralem intrinsecam actui interno voluntatis ipsum imperanti superadderet, sequeretur quod posset aliquis alium invitum privare aliqua bonitate morali, subindeque merito & præmio essentiali, ipsi correspondente & proportionato: Sed hoc dici nequit, alioquin bona honesta, & dona supernatura gratia & gloria, essent fortuna subiecta, sicut bona exteriora: Ergo nec illud. Sequela Majoris est evidens: potest enim aliquis alium violenter impedire ne aliquod opus bonum, quod efficaciter determinavit, executioni mandet: v.g. potest illum euntem in Ecclesiam ad audiendum sacram, ab incœpto itinere violenter retrahere; vel dum vult præbere eleemosynam pauperi, paratam pecuniam ei surripere: Ergo si actus exterior potentia executiva bonitatem vel malitiam simpliciter in ordine ad præmium vel poenam essentiali superaddat, poterit aliquis alium invitum aliquo merito & præmio essentiali privare.

Secunda pars conclusionis, quæ asserit opus exhibitum & executioni mandatum, addere quandam accidentalem bonitatem, vel malitiam, cui præmium aut poena accidentalis correspondet, expressè docetur à D. Thoma in 2. dist. 40. qu. 1. art. 3. his verbis: *Actus exterior nihil adjungit ad primum essentialie: tantum enim meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud; ut si facit unum alium, quantum si faceret multos, voluntate equaliter perfecta manente. Ad primum autem accidentale ordinatur per bonitatem, que est ipsius actus exterioris secundum se: & ideo actus exterior adjungit aliquid ad primum accidentale.*

Id claram patet exemplo martyrij, quo D. Thomas ibidem utitur ad id explicandum: docent enim communiter Theologi cum eodem S. Doctore in 4. dist. 49. qu. 5. art. 3. quæstiunc. 2. ad 3. eos qui sola voluntate martyres sunt, posse quidem mereri aequaliter, & magis præmium essentialie, quam qui re ipsa patiuntur pro Christo; non tamen præmium accidentale, quod aureola dicitur; quia illa solum debetur ipsi exteriori passioni, seu actuali tolerantia mortis, in qua est specialis difficultas, cui præmium aliquod accidentale correspondet.

Ex dictis intelliges, inepit omnino constitui à Vazque differentiam inter bonitatem & malitiam, quantum ad hoc quod ista, non verò illa, reperiatur formaliter & intrinsecè in actu exteriori. Cum enim bonitas & malitia opponantur contrariè, aut privative, necesse

8.

Kx

est ut in eodem subjecto, in quo est una, posse esse & alia; opposita enim sunt in eodem subjecto proximo & immediato, à quo se mutuò expellunt: Ergo si in actibus externis sit formaliter & intrinsecè malitia moralis, bonitas quoque in illis formaliter & intrinsecè esse poterit; vel ècontra si in illis non possit bonitas intrinsecè reperiri, neque etiam malitia formaliter & intrinsecè in ipsis esse poterit.

9. Confirmatur: Si in actibus aliarum potentiarum à voluntate est formalis malitia, & non formalis bonitas, sequitur in illis potentissimis esse habitus vitiosos, qui ex malis actibus earum frequentatius generantur, & in eisdem non posse esse habitus virtutum: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet: nam si in appetitu sensitivo v. g. multiplicantur actus intemperantiae formales, necesse est quod ex illis sic multiplicatis & repetitis generetur habitus intemperantiae: cum autem in tali potentia Vazquez non admittat actus bonos formales temperantiae, non poterunt ibi generari habitus castitatis & temperantiae. Absurditas etiam Minoris est evidens: si enim virtus & virtutes essent in diversis subjectis, non se mutuò excluderent, sed possent sese compatri, etiam in gradibus intensis: sicut calor qui est in manu non expellit frigus pedis, imò possunt simul esse calor summus in manu, & frigus summum in pede.

S. II.

Principia objectiones solvuntur.

10. **O**BJICES primò contra nostram assertio-
nem: Peccatum definitur à Divo Thoma
infra qu. 71. art. 4. Diictum, factum, vel concu-
pitum contra legem aeternam. Et qu. 72. art. 7.
dividitur in peccatum cordis, oris, & operis:
Ergo non solum interiorum actus, sed etiam ex-
terna facta, & dicta, sunt moraliter peccata,
subindeque intrinsecè mala.

11. Respondetur concessò Antecedente, negan-
do Consequentiam: nam per dicta & facta, &
per peccata oris, & operis, non intelliguntur
soli actus externi, sed unà cum actibus inter-
nis à quibus imperantur, & in quibus malitia
conficitur. Unde sensus prædictæ definitionis &
divisionis est, quadam dari peccata purè inter-
na, que in sola voluntate consistunt, neque in
opus ad extra prorumpunt, & hæc vocantur
peccata cordis: quædam vero quæ transiunt
usque ad externa verba vel opera, & hæc prout
includunt tam actus interiores imperantes,
quæm exterioris imperatos, dicuntur peccata
oris vel operis. Solutio est D. Thomæ citato
art. 7. qu. 72. ad 3. ubi cum sibi objecisset: Non
potest peccatum esse in ore vel in opera, nisi fiat
priùs in corde: Ergo ista peccata non debent
contra se invicem dividiri. Respondeat: Dicendum
quod peccata cordis & oris non distinguntur
à peccato operis, quando simul cum eo conjungun-
tur, sed prout quodlibet horum per se inventur
(id est, quando inventur peccatum cordis sine
aliis, & peccatum oris sine peccato operis) si-
c ut pars motus non distinguitur à toto motu,
quando motus est continuus, sed solum quando
motus sicut in medio.

Objicies secundò celebre testimonium Au-
gustini, quod Franciscus Felix dicit valde tor-

quere nostræ sententiæ defensores. Illud desu-
mitur ex lib. 13. de Trinit. cap. 6. ubi S. Doctor
sic ait: *Malâ voluntate, vel solâ quisque mi-
ser efficitur; sed miserior potestate, quâ deside-
rium mala voluntatis impletur.* In quibus ver-
bis fatetur actum exteriorem, adimplativum
mali desiderij, addere supra ipsum desiderium
majorem miseriam, subindeque majorem ma-
litiam.

Relictis variis solutionibus, quas citatus Au-
thor refert & impugnat, facile respondetur ex
principiis supra statutis, quod peccator fit mi-
serior per actum exteriorem, non ex eo quod
ex illo nova malitia essentialis accrescat, sed
propter accidentalem malitiam, & varia in-
commoda quæ actus exterior secum adducit,
qua sine dubio miserabiliorē efficiunt pecca-
torem, quam est per solam voluntatem pec-
candi. Ex actu enim exteriori malo magis he-
betantur sensus, & potentia exteriore pronio-
res redduntur ad malum; ex illo etiam multo-
res generatur scandalum, & incurrit excom-
municatio, vel irregularitas, aut obligatio ad
restitutionem, qua per solum actum exteriorem
non inducuntur. Ex quo patet, hoc testimonio
nostræ sententiæ defensores non torqueri, sed
potius secundam nostræ conclusionis partem
suaderi.

C Objicies tertio: Actus interior & exterior
distantis præceptis prohibentur: nam nonum &
decimum Decalogi præceptum sunt de actibus
interioribus tantum, nempe de concupiscentia
uxoris, & rei alienæ; & tamen fornicatio &
furtum, quæ sunt actus exteriore illis corres-
pondentes, prohibentur sexto & septimo præ-
cepto: Ergo signum est quod actus exterior ad-
dit novam malitiam super actum exteriorem.

Sed nego consequentiam: non idèo enim
ponuntur diversa præcepta de actibus interio-
ribus & exterioribus supra dictis, quod in his
sit diversa malitia, vel ad diversa vita perti-
neant: sed quia cum concupiscentia sit pro isto
statu maximè homini connaturalis, poterat ali-
quis faciliter sibi suadere, concupiscere rem vel
uxorem alienam, duromodo actus non sequar-
tur, non esse peccatum, sicut quidam Hære-
tici asserterunt: quæ hæresis regnabat apud
Judeos, ut ex verbis illis Salvatoris supra ad-
ductis colligitur: *Omnis qui viderit mulierem
ad concupiscentium eam, jam mæchatus est eam
in corde suo.* Vel etiam dici potest, specialibus
præceptis concupiscentiam rei & uxoris aliena-
fuisse prohibitam, quia respectu hominis desi-
deria rei alienæ & venereorum sunt maximè
concupiscentia, & frequentia, desideria vero
aliorum actuum prohibitorum per alia præce-
pta non ita: quod optimè explicat S. Doctor

2. 2. qu. 122. art. 6. ad 4. his verbis: *Dicendum
quod homicidium secundum senon est concupis-
cibile, sed magis horibile: quia non habet de se
rationem alicujus boni. Sed adulterium habet
rationem alicujus boni, scilicet delæctabilis; furtum
etiam habet rationem alicujus boni, scilicet
utilis: bonum autem de se habet rationem con-
cupiscentia: & ideo fuit specialibus præceptis
prohibenda concupiscentia furti & adulterij non
autem concupiscentia homicidij.*

E Objicies quartò: Si actus exterior non ha-
beat intrinsecam & formalem malitiam, quam
addat supra exteriorem, nulla est ratio quare
sit in confessione explicandus: Sed hoc dam-

DE MORALITATE ACTVS EXTERIORIS. 259

nat communis Ecclesiæ confuetudo : Ergo &c.

16. Respondeo, negando sequelam Majoris : Licet enim actus exterior non habeat intrinsecam & formalem malitiam, quam addat supra interiorem ; quia tamen est complementum substantiale actus interioris, & ex utroque fit unus actus moralis in certa specie malitiae, putâ furti, vel adulterij, debet in confessione declarari, ut completae peccati species explicetur.

Addo cum Salmanticensibus in tractatu de peccatis disp. 10. dub. 1. §. 7. in fine, parum vel nihil referre ad hoc ut actio exterior debeat in confessione explicari, quod in se habeat, aut addat, vel non addat malitiam supra interiorem: dummodo enim talis actio re ipsa mala & peccatum grave sit, siue hoc habeat à forma libi inhærente, siue existente in alio actu, debet appetiri in confessione : quia istius præceptum non solum malitiam, neque solum actum cui inhæret, sed quicquid denominatur absolute peccatum mortale, sub se comprehendit ; nec curat unde actus accipiat haec denominationem, sed an re ipsa illi substeratur.

17. Objicies ultimò : D. Thomas h̄c art. 1. 2. & 3. actibus externis, quos dicimus bonos vel malos ex genere, concedit bonitatem vel malitiam propriam, nempe ex proprio objecto & circumstantiis ; fateturque hujusmodi bonitatem vel malitiam esse priorem bonitate, & malitia actus voluntatis, ab eaque distinctam & independentem. Ratio etiam id suadere videtur: Nam ideo iste actus, *volo furari*, habet esse peccatum, quia ipsum furari est malum, & non econtra, verum est, si ly ideo dicat causam objectivam & specificativam : ex eo enim quod exterior actio furandi secundum se, & ut apprehenditur à ratione, est objectivè mala, refudit in actu voluntatis quo eligitur, & cuius est objectum, speciem malitiae ; sicut omne objectum, in quantum objectum, dat speciem actui ad illud terminato. Si autem sermo sit de causa omnino formalis, quae per seipsum denominat, propositio illa est falsi, & contraria absolutè vera, nempe quod ideo furari est formaliter malum, quia volitio à qua procedit est formaliter mala : unde si hæc volitio ob aliquam rationem, ut propter ignorantiam invincibilem, à malitia excusaretur, nequaquam ipsum furari esset tunc formaliter peccatum, aut pœnâ dignum, licet adhuc tunc esset objectivè peccaminosum. Est ergo inter actionem externam & internam mutua causalitas, & dependencia : nam exterior ut objectum, præcedit & specificat interiorum ut actum ; interior verò ut forma & actio imperans, præcedit, & specificat exteriorum ut effectum : sicut eadem bonitas finis, ut est in intentione, est prior electione mediiorum ; ut verò est in executione, illâ posterior est.

- D
18. Respondeo in actu exteriori duplēcē esse distinguendam bonitatem & malitiam ; unam quæ convenit ei ex objecto, vel materia circa quam veratur, & quæ idcirco *objectiva* dicitur ; alteram quæ ei competit ut exercetur à potentia executente, mota à voluntate, & *formalis* appellatur. Prima est intrinsecā in actu exteriori ; non verò secunda, de qua solum agimus in praesenti. Quando ergo S. Thomas tribus primis articulis hujus questionis, actibus externis bonitatem vel malitiam propriam concedit, loquitur de bonitate duntaxat objectiva, quæ convenit eis quatenus sunt voluntatis objectum ; non verò de formalī, quæ ipsis competit quatenus sunt voluntarij & liberi. Ut patet ex articulo 1. in corp. & in solut. ad 1. ubi sic ait : *Di- cendum quod actus exterior est objectum voluntatis, in quantum proponitur voluntati à ratione ut*

A quoddam bonum apprehensum, & ordinatum per rationem, & sic est prius bonum quā actus voluntatis : in quantum verò consitit in executione operis, est effectus voluntatis, & sequitur voluntatem. En quomodo tota illa bonitas vel malitia quā exterior actus habet à ratione antecedenter ad influxum voluntatis, convenient illi præcisè ut objecto, & sic tantum est objectiva, non verò formalis quæ est in executione operis, & sequitur bonitatem voluntatis que est principium ejus, ut ait idem S. Doctor in corp. ejusdem articuli. Quod etiam fuisse explicat in 2. dist. 4. qu. 1. art. 3. & qu. 2. de malo artic. 3. ubi ait : *Si consideretur actus secundum se malus, putâ furium vel homicidium, prout est in appre hensione secundum suam rationem, sic primordialiter invenitur in ipso ratio mali, quia non est vestitus debitum circumstantiis. Sed si accipiatur actus peccati, secundum quod est in executione operis, sic primordialiter & per prius est culpa in voluntate.*

B Ex quo patet solutio rationis subjunctionis : nam cùm dicitur, ideo hic actus, *volo furari*, est malus, quia ipsum furari est malum, & non econtra, verum est, si ly ideo dicat causam objectivam & specificativam : ex eo enim quod exterior actio furandi secundum se, & ut apprehenditur à ratione, est objectivè mala, refudit in actu voluntatis quo eligitur, & cuius est objectum, speciem malitiae ; sicut omne objectum, in quantum objectum, dat speciem actui ad illud terminato. Si autem sermo sit de causa omnino formalis, quae per seipsum denominat, propositio illa est falsi, & contraria absolutè vera, nempe quod ideo furari est formaliter malum, quia volitio à qua procedit est formaliter mala : unde si hæc volitio ob aliquam rationem, ut propter ignorantiam invincibilem, à malitia excusaretur, nequaquam ipsum furari esset tunc formaliter peccatum, aut pœnâ dignum, licet adhuc tunc esset objectivè peccaminosum. Est ergo inter actionem externam & internam mutua causalitas, & dependencia : nam exterior ut objectum, præcedit & specificat interiorum ut actum ; interior verò ut forma & actio imperans, præcedit, & specificat exteriorum ut effectum : sicut eadem bonitas finis, ut est in intentione, est prior electione mediiorum ; ut verò est in executione, illâ posterior est.

C Agit D. Thomas qu. 21. de his quæ consequuntur actus humanos ratione bonitatis aut malitiae moralis, nempe de ratione laudabilis & vituperabilis, meriti & demeriti, sed quia de his agemus in tractatu de merito, in præsentis abstineamus.

19.

